

CARMEN
DE PASSIONE
IUXTAQUE GLORIO-
SISSIMA A MORTVIS TERTIA
die resurrectione, & triumpho D. N.
I. C. Scriptum à

BOHVSLAD BAVVOR A KOSMA-
czovva Tusseno.



Ero mors tua, ô mors : morsus tuus
ero inferne. Oseas 13.





1997 KK 69
AKC. 16 / 26

AMPLISSIMIS, VIRTUTE, DOCTRINAQUE

PRÆSTANTISSIMIS VIRIS D. CASPARI
Lacyngero, S. C. M. Iudici, M. Paulo Cubinio Primati, Io-
anni Iarossyk, Ioanni Bielohradsky à Kosmacziovva, Vence-
slao Choceno, Iacobo Crocino, Ioanni Kavvan, Nicolao
Rosebergeno, & ceteris inclytæ Urbis Tustæ Senatoribus,
nec non Gallo Lunæ Oratori ibidem excellenti:

Mecœnatibus Musarum, dominis &
patronis suis, debita reueren-
tia colendis:

Bobuslaus Bavor à Kosmacziovva Tustenus. S.

CYnthus Atlanteis cœlo rutilabat ab undis
Et Tegetæa suos excipiebat equos:
Aegocerum lustrans cœli regione sub ima,
Pyrenen tetigit lucifer axe piam.
Bis denosq; dies Marti Cyllenius ales,
Attulit, & liquidis extulit ora vadis,
Cum me, de Christo, meditantem nostra Thaleia,
Grandævum filo texere iussit opus.
Texere iussit opus, dignas & ad æthera laudes
Tollere, quas meruit victor in orbe Davs.
Dum Styge destructa, nigram pede presit Erynnin,
Iam regit æthereos, sydera clara, Polos.
Parco mox dictis, & biblica scripta revolvens,
In numeros redigo tristia fata Dei,
A ij Hic

Hic ubi magnanimæ cernuntur mœnia PRAGÆ,
Murmure æruleas Multava volvit aquas.

Atq; tibi tantos consecro iure labores

O duodenorum, sancta Corona, virum.

Namq; fauces studijs, sacra es virtutis amatrix,

Diligis & Clario quæ data turba Deo est.

Artis Palladiæ, qui sit, quia noveris, vsus,

Commoda quæ publicæ præbet & illa rei.

Pro quibus es meritis ferri super æthera digna

Vtq; tuum vatium nomen in ore sonet.

Ergo Pierio conspersum rore triumphum

Sume, nec officij munera sperne mei.

Accipe Parrhasiam gelida de rupe Camænam,

Et satis inceleres, verba coacta, pedes.

Si nobis melior quondam spirabit Apollo,

Nec dabit Aoniam seposuisse lyram.

Aurata scriptum carmen testudine mittam,

Pœonijsq; modis verba canora. Vale.

Terq; quaterq; vale, mihi ter venerande Senatus,

Nos & inoblito pectore ferto, precor.

Dabantur in Collegio Reczek

8. Aprilis, Anno 90.



Carmen.

Carmen

DE PASSIONE ET MORTE, ET

DE GLORIOSISSIMA A MORTVIS TER-

tia die resurrectione, & triumpho Domini
nostri Iesu Christi.

Uim paro Mœonia laudes & vulnera Christi

Et tormenta, cruces, lethiq; horrentia tela.

Commemorare lyra, sylvestri & arundine Christum

Surgentem de morte, potestatemq; Draconis

Collabefactantem, ex spolijsq; trophæa ferentem.

Musæ Perides, magnum Iovis incrementum,

Accelerate pedes, nostrosq; juvate labores:

Vos calamos inflatæ meos, & amabile carmen,

Quod prius Andino dictastis numina vati,

Si quid vota valent, precor id concedite nobis.

Si vos thure puer colui, vobisq; litavi

Annua vota, dedi q; aris halantia vestris

Serta, date aurata lætum testudine carmen

Ludere, nec faciem capto averfate secundam.

Postquam res Erebi miseras evertere gentes

Ausæ sunt, & eas latebris, Stygijsq; cavernis

Abdere, fraude lupi, horrentem in sedemq; Typhæi

Pertrahere, & Solis divinum extinguere lumen:

Nec locus esset ubi dira haud regnaret Erynnis

Et Bellona ferox, nec non crudelis Hyenæ

Ultrices Orci Furia, Fibræq; renata,

A iij

Indomi-

Indomitumq; caput quondam serpentis aviti.
Unius ob noxam primævi namq; parentis,
Et quot ab hoc essent producti in luminis auras,
Omnes proscripsit flammis sententia Averni
Iusta Dei, nutu rutilas qui temperat axes:
Nec potuit genus, hîc tot tempestatibus actum
Humanum, medicina alia, non arte levare,
E stygioq; lacu optatas revocare sub auras.
Non quam Tindaridi dederat polydamna Lacænz,
Nec, quæ, Pœoniæ Hyppolytum de morte vocarunt
Eductum Aegeriæ, maria ima Hymetia circum,
Nec Marsus contra valûere in montibus herbæ.
Morte nisi Gnati summi genitoris acerba:
Qui mala contemplans, nostriq; misertus ab alto
Unigenam cœlo demisit, imagine vili,
In mundum, qui terrestres contraxerat artus,
Suspendit proprio collo massamq; caducam,
Et vigil ætherei pastoris ovilia custos
Asservit, sese dedit hosti hic obvius ultro:
Contra tela, Duces, Mauortia regna Draconis
Ivit sponte sua, tetros Phlegetontis & abussus,
Et furias Orci, contra Rhadamantæa regna,
Opposuit vitam, congressus pluribus vnus
Prælia miscebat, patrem placavit in ira,
Et pepulit tenebras dio fulgore, saumq;
Asservit populum contra tot Dæmonis astus.
Et cum ter gemini lustri, tres insuper annos

Imple-

Implevit cursum, ex quo lapsus ab æthere summo,
Multis præterea signis lustraverat orbem:
Vela legens pelagi summas sedaverat iras,
Curavit cæcos, claudos sanavit & agros
Atq; revelavit, quæ esset sententia patris
Mox tetrîs furijs captus Pharisæus, & astu,
Surgit, & immensum clamorem tollit ad astra:
At genus excitum ruit, istinc agmina plenis
Densa vijs glomerant, tendunt structæq; phalanges,
Astantes fratres, nec quicquam lumine torvo
Cernuntur, proni de iusto sumere pœnas,
Ergo vbi conspexit venientem temporis horam
Nempe Sibilliaci quam prædixere prophetæ:
Venturum esse diem, quo radix stirpis lessæ
Nostræ omnis curæ summum, casusq; levamen,
Ad loca supplicij manibus post terga revinctis
Ducetur, nostra vt pro labe resoluat,
Gorgoneum caput abscindens serpentis iniqui,
E tristiq; iugo gentem Babylonis, & umbra
Educens, patrio rursum omnes reddat Olympo:
Advocat vnanimis, dant talia dicta, ministros:
Exuperare moram, dictis a parete secundis,
Est opus, ante prius spatiola palatia mundi
Linquuntur, superas & ego evasurus in auras
Vobiscum cœnem, vobis nova gaudia donem,
Nam mora præsentis lethi, vitæ exitus instat.
Conveniunt, stratoq; super discumbitur Ostro:

Tum

Tum pane accepto, grates agit ille parenti,
Ordine bis senis socijs & præbet & infit:
Edite de hoc omnes, carnis nostræq; figuram
Credite, mente alta postrema reponite verba.
Spumantem & pateram dulci replevit Iaccho.
Talibus aggressus dictis, primusq; coronans
Vinum, devota bibite ex hac mente frequentes.
Hic meus est sanguis, vestro pro crimine fusus.
Postquam epulis fuerat mens exaturata sacris
Dat famulis lympham bis senis, ordine & horum
Sordida demulcet puris vestigia lymphis,
Regis ut Augiæ stabulum Tyrrhinus heros.
Aspice quantus amor miseros erga, pietasq;
Laudeq; cantandum seclis memorabile factum.
Num cadit in quenquam tam sancta modestia?
Demissæ & specimen, summæ & pietatis imago?

Iam medium virgo Tegetæa petebat Olympum
Cum Christus solitum cupiens persolvere votum,
Hortum succedit, mulcenti prata torpore,
Vere hortus flores, herbasq; ferebat odoras
Delitijs repletus erat, varioq; colore,
Mæstus deinde suos affatur voce refertq;
Huc ego dum flecto, patri pia vota daturus.
Vos vigiles mecum precibus votisq; vacate,
Non longè abscessit, supplex ad sidera lumen
Extulit, atq; manus duplices cum voce tetendit.
O pater, & terræ, & rutili moderator olympi

Mi pater

Mi pater exaudi, si quid pietate meremur
Si lacrymis nostris, precibus si flecteris ullis,
Exaudi quæso, dictis affatur amaris
Temea mens, ne meq; tuum modò desere natum,
Si fas, hunc calicem, qui morte repletus acerba,
Tormentoq; graui, nostro procul aufer ab ore
Sin nequit id fieri, fiat tua sancta voluntas:
Sic ait, ingeminatq; preces, vultumq; profusis
Humectans lacrymis, in terram labitur: illi
Ante oculos patris ira hæret, tristisq; futuræ
Terret imago necis Dominum, pænæq; scelestum
Huic vni incumbunt, animæ vis liquitur: horror,
Membra quatit, cordis penetrale resolvitur, imber
Corpore sanguineus manat, terramq; cruentat.
Ille jacet velut exanimis, dum se obuius infert
Tartareis furijs, & patris sustinet iram
Aliger hunc iuuenis, cœlo solatur ab alto,
Luctantiq; animos, & vires addit in hostem.
Ne victus cedat, sed fortiter urgeat hostem,
Hoc humana salus solo se cardine vertit.

Hæc ubi dicta: Orci furijs agitatus Iudas,
Conductus pretio Pharisei, irrumpit in hortum
Vi, magnaq; levis turbæ stipante caterua,
Consilium vultu, technas & fronte serenans,
Ora dei pressit fallaci voce Magistri
Mox scelerata manus toto ruit agmine in vnum,
Sternit humi infontem, vincit post terga lacertos,

B

Vi trahit.

Vi trahit ex hortis, & crebro fuste salutat
Ut ventum ad sedes Caiphæ, Iudaica probris
Afficit indignis, conuitia iactat amara.
Nunc subigit fari quis sit, pulsatq; flagellis,
Nunc sæuit pugnis: partes rimantur apertæ,
Ut lethale ferat vulnus, plagasq; sonoras,
Stat mitis Deus, atq; oculos per singula volvit,
Se diu genus, & natum patris esse fatetur
Quem quondam cœli redeuntem sede videbunt
Censorem mundi, magno splendore coruscum.

Hoc vbi responsum: furijs immitibus acta,
Maius adorta nefas, maioremq; orsa furorem,
Exercet causas, falsis rationibus instat,
Immeritum donec per acerbo funere mergat.

Pœnituit Iudam qui prodicione nefanda
Vendiderat precio Christum, nil tale merentem,
Culpam in se transfert, sceleris caput esse fatetur.
Post vbi concepit gemitus, se necit ab alta
Arbore, sic sceleris scelus improbus addit acerbum.
Vitaq; cum gemitu, fugit Phlegetontis ad umbras,
Hic sua fata gemit, magnis ululatus implet
Atria Plutonis, sedes Acherontis & imas.

Ergo de Christo tristis sententia fertur,
In medio fontum affigi debere duorum,
Nec mora turba ferox voto ad stipulatur eidem.
Ducit ab vrbe, crucem, Christum, portante Simone,
Ad loca supplicij, atq; obscena sepulcra latronum.

Hos vbi

Hos vbi contigerat campos attollit in auras
Affixum palo, media interq; agmina fontum
In fontem sistit, verbis hunc urget acerbis:
Si Deus es, nitida quem sede venire ferebant,
Tu decus astrorum, stellati & splendor Olympi,
Si patris es rutilo iussu delapsus ab arce,
De cruce ferto pedes, descende propago Tonantis,
Tunc tibi credemus, moniti meliora sequemur,
Rite tibi atq; vltro nostris adolebimus aris.
Quid faceret, multam lacrymas ducebat in horam,
Et faciem attolens cœlum, sic insonat ore:
O pater exaudi ruptos de pectore questus,
Da veniam quæso, & placabilis omnibus esto.
Date illis facilem, commissâ piacula mitte
Immemor illorum, non des accincta flagello
Ti siphone hos quatiat, stygio aut volvantur in antro.
Hæc vbi dicta: locum clamore replevit Iesus,
Et diserto Heli postremum Heli ore sonabat:
Cur Deus ô natum tanto in discrimine linqvis,
Nil nostri miserere mori me deniq; cogis?
Sic ait atq; animam commendat quando parenti,
Ipsam animam caput inclinans cum voce relinquit.
Spectavit genitor tam tristia funera nati,
Luctantemq; animam, nexosq; resolverat artus,
Dilapsusq; calor rubeiq; abiire colores,
Sic reparata salus finitaq; meta laboris.

Ergo igitur miseri lacrymarum in valle morantes,

B ij

Sinos

Si nos vera movet pietas, & cura salutis,
 Post habitis studijs cuncti, rebusq; prophanis,
 Vera DEI soboles, & imago vera parentis,
 Qualia sustinuit pro mundi immanibus ausis
 Vulnera, quas plagas, spinosam & fronte coronam,
 Aut quas emisit sudanti corpore guttas,
 Ossaq; dispersit rubeo permista cruore
 Voluite, & afflictis melius confidite rebus,
 Vicimus hoc vno duce quæ nocuere saluti,
 Nam quicquid subijt, subijt pro crimine auito,
 Hic ex templo omnes irarum absumpsit habenas,
 Placavit patrem, partam patriæq; salutem
 Attulit, immanem feritate Lycaona vicit,
 Defendit navim, magno iam turbine, & imis
 Fluctibus oppressam, & parvo discrimine lethi
 Verrentem, & dio citius tumida æquora dicto
 Composuit, pelagi cecidit fragor omnis ab inde,
 Dissolvit vastas Syrtes, solemq; reduxit.
 Noscite quam fuerit patris implacabilis ira,
 Culpaq; nostra gravis, nostri cordisq; reatus,
 Qui quondam deleri alia ratione nequibant,
 Ni trabe penderes palmas distentus in ambas
 Nate patris, crucis & fædares sanguine lignum.

Ergo si nato non ipse pepercerat, illum
 Pro nobis voluit tantos sed adire labores,
 Qui nullam admisit labem, nullosq; reatus,
 Quam gravior nostris cervicibus imminet ira,

Iudici-

Iudiciumq; ferox patris, pænæq; futura,
 Ni meritum nati, & blandum agnosceremus amorem.

Mesiæ mortem, pontusq;, & Dædala terra
 Fleverat, atq; cavis immugijt Orcus in antris
 Illius mortem volucer Tegeeticus, illum
 Bylthonij cytharæ flevêre, & Daulias ales
 Cynphenisq; leo, & vada Bellerophontæa quondam,
 Clarus ab Eois celsaverat ire quadrigis
 Phæbus aquis, niveis & vecta Tritonia bigis,
 Occulit nitidum obscura ferrugine cœlum,
 Et polus ingenti misceri murmure, & igne
 Incæpit, tremuere Hybleæ in montibus alpes.
 Vox quoq; perlucos est exaudita silentes.
 Tunc, celsavit avis modulamina, voce sonora
 Fundere, degelida, ruptis fornacibus, urna
 Corpora surgebant, pecudesq; canesq; locuti
 Classibus æquoream tristis turbaverat undam
 Neptunus, clamor subijt, stridorq; rudentum,
 Frangebat remos, fluctus tollebat ad astra,
 Clarus ab Aemonia fugit citò puppe Magister.
 Nec non Oreades duris in montibus ortæ,
 Crudeles annexa comas & Phorcynis angve,
 In terra visæ, visæ sunt monstra marina.
 Squallebant agri, Nemeæq; bellua, & arva
 Celsabant, terram solvit nec Cancer adustam.
 Sic vbi pendebat transverso è stipite Christus,
 Vir bonus, & pacis cultor studiosus & æqui,

B iij

Diues

Dives opum, fandiꝫ potens Arimathius heros,
 Qui non assensu partes implebat iniquas,
 Pronus ad Hesperias & iam sol vergeret vndas,
 Audax succedit splendentia testā Pilati,
 Et precibus magnis instat, votóꝫ frequenti,
 Corpus vt exanimi de ligno tollat IESV,
 Et tumulo mandet, mœsto condatq; sepulcro.
 Dat veniam ille, videt falsa quia labe notatum,
 Nec meruisse mori, fatoq; immergier atro.
 Mox Christo pallam consors Arimathidos vrbis
 Induit, Oebolio, circumdans murice vultus,
 Pingit odoriferoq; vnguento, & mollibus herbis
 Aggravat, vt corpus busti testudine tectum,
 Post longas etiam tandem cernatur aristas,
 Et sic cum lacrymis, magnisq; ululatibus vnam
 Delatum est corpus, solenni more, peractis
 Exequijs, ingensq; cauæ lapis additus vrnæ est.

ALTERA PARS CONTINENS
 GLORIOSISSIMAM A MORTE RE-
 surrectionem, & triumphum Christi.

Tertia lux postquam cœli illustraverat orbem
 Et Sol Oceano lustratus purior ibat,
 Post varios casus, lethi magnosq; dolores,
 Excitus è somno, vitales sistit in auras,
 Sese erecti victor dum nostræ crimina culpæ

Evertit

Evertit viârice manu, Rhadamantea regna
 Debellat, Furiâq; Orci, fibrasq; renatas
 Sub pedibus ponit, magnum Plutona per Orcum
 Monstrum horrendū, informe cui artes mille nocendi.
 Insequitur fugientem, addit colloq; catenam.
 Terribilis squallore Charon, cūi sordida vestis,
 Canices inculta, comæ arrectæq; sereno
 Fugit ab aspectu trepidus stygiamq; paludem
 Cum remis linquit, post hunc vestigia torfit
 Christus, & appensum scopulis affixit acutis,
 Disjecitq; rates, & fregit in æquore puppim,
 Excidioq; dedit sedes pallentis Avernî,
 Cerberon infandum nigra sub rupe jacentem,
 Crudelem tetrâs iaculatum faucibus ignem
 Contrivit, nec non hostem laniavit Erynnin,
 Humanæq; alias pestes, & monstra salutis.
 Dehinc flebilibus tenebris detenta parentum
 Corpora, in optatas lucis deduxerat auras,
 Victor & insignis spolijs oneratus Avernî,
 Sublimem sese supra tulit æthera magno
 Agmine, cum cantu Dominum comitante piorum,
 Ad latus hîc genitoris habet, donaria terris
 Molitur, largeq; lubens partitur in omnes.

Nil conferre juvat pompam celebresq; triumphos,
 Victoricæq; manum, Asaraci de sanguine regum,
 Aut qui Romanam primum ædificaverat urbem,
 Et septem

Et septem muro celsas circumdedit arces,
Ille manu Cænicensem dum vicit Acronem,
Quales ducebat celsa intra mœnia pompas
Veste triumphali, dextra ramumq; tenebat,
Cessit & umbrata civili tempora quercu,
Illius populus cantabat in vrbe triumphos,
Et capiti, pulcrum Lauri de flore coronam
Imposuit, sonitum, castrensia tympana, pulsu,
Mota, dabant, nec non clangebant æra tubarum.
Quidve triumphalem pompam laudesq; Luculli
Commemorem, Scipionis Romaniq; triumphos
Deiuncto Pæno, Augusti quid Cæsaris arma,
Qui Latium exivit superans Garamantas & Indos,
Mœnia dum triplici est vectus, Romana, triumpho
Tota dies ludis magno plausuq; fremebat,
Et Nomadum genus, & pontem indignatus Araxes.
Ibat deiunctus pede, crudelesq; Geloni,
Indonitiq; Dacæ, Leleges, Caresq; feroces,
Ante aras jacuere boves, timidæq; iuvenæ.
Turba sacris operata dijs libavit honores,
Thureq; divinas aras impingvat odoro.
Si spectem Christi palmas & læta trophæa
Quæ tulit ex spolijs destructo Acheronte, & Auerno,
Fluxa cadet subito ventosa ea gloria Martis,
Magnanimumq; peribit inanis palma virorum,
Hic vitam posuit tetro pro crimine in armis,
Vnius ob noxam, furiasq; parentis Adam,
Ingressusq; nigras valvas, ferroq; reuincta

Mœnia,

Mœnia crudelem contrarius ibat in hostem,
Devicit mortem, fumantia sulphure regna
Aequa solo posuit, crudi viresq; Draconis
Fortior excidit, monumenta acrisq; duelli
Dum peteret cœlum medio super æthere fixit.

Victori Christo gaudent quæ Dædala terra
Continet, & cœlum, sinuosaq; flumina, & æquor.
Ridet humus: victum brutis animantibus arva
Sufficiunt: læto vestitur cespite tellus,
Umbrosasq; comas arbor, herbasq; virentes,
Assumit gramen, madefacta si symbria ripas
Ornant, unda levis Thymbras, & gramen Acanthi
Irrigat, & virido tellus velamine splendet.
Lætantur pecudes, saliant per prata iuveni,
Lanigeræ pascuntur oves, leporesq; fugaces,
Setigeriq; fues, distentæ & lacte capellæ,
Surgit honos frondis, surgunt de cortice rami,
Candidulæq; rosæ viridantia prata colorant.
Hordea cum sterili terræ mandantur avena, &
Meccenas laudat magna cum prodit ab urbe
Primus humum ferro qui sollicitavit Osiris,
Eius gallinæ surgunt de vertice pennæ,
Æ pingvi vigiles saturantq; fimo arva coloni.
Exercentq; manu fecundo in caudice plantas.
Custodes pecudum, quibus est ea sola voluptas
Solamenq; mali, de collo fistula pendens,
Silvestrem vili Musam meditantur avena.

C

Quin

Quin etiam volucres pictæ, & Pandionis ales
Tempus ad hoc mutæ demùm nunc ora resolvunt,
Demulcentq; Iovis, sylvas, lucosq; Dianæ,
Voce sua, blandoq; sono, modulisq; serenis.
Aëris è gelido tractu dilabitur imber
Cum pluvia, è pelago hunc Typhones in aëra torquent,
Humectatq; rosas, frangit glebasq; salubres,
Irrigat atq; herbas, & amœnos temperat hortos.
Corfica avis vario depicta colore Trinacrin
Pervolat montem, & flores perlustrat olentes,
Phœbus ab australi revocatus cardine mundum
Designat, pellitq; hyemem, concreta liquefcit.
Vnda, minas ponit iam frigoris aura tepescens.
Navita iam naves vitreas producit ad undas,
Lintea dat lætus, solvit quocunq; rudetes,
Et ventis quo vult intendit vela secundis,
Neptunoq; cui salis est data summa potestas
Corfica mella litat, suspendens oscula nati.
Squammi ferosq; greges ærato plectitur unco.

Ergo si Christo tales dat pontus honores,
Vnda maris, tellus, splendentiaq; atria cœli
Piscosi fontes, pisces, & grandia Cete,
Quid nos cunctamur Christi? moramur honores
Dicere, si grati tanto pro munere rerum:
Ut suus extet honos, diæ laudesq; canantur,
Vnanimes nostro appendamus carmina collo.
Carmina sunt dicenda Deo, debentur & illi

Vota;

Vota, precesq; piæ, placatur carmine Christus,
Carmine quid maius, prece quid præstantius inquam?
Quisq; ergo supplex aris imponat honorem,
Det pia vota Deo sublatis æthera palmis,
Affectu tali, qua vult hic mente vocetur.
Corriciusq; crocus cœlestes imbuat aras
Thura oleant ædes sacræ Panchaia: noscat
Continuò tellus divini signa favoris,
Cura, dolor fugiant longè post ostia Nili.
Mœror eat procul, atq; erret maria omnia circum,
Discedat te me ratus amor, pellatur Erynnis
Cum Furijs, Nemesis nostris procul exuletoris.
Auratam sumat cytharam crinitus Iopas,
Læticiæ voces, Panchæi & Cinnami odores
Dentur, pro pharetris assumat plectraq; Phœbus,
Nostra salus Christus vicit Plutona superbum,
Prostravit mortem nos & de crimine solvit.
Dicite io Pæan, io io geminate triumphum,
Vicimus è gelida lacrymarum valle reducti,
Vicimus angustos aditus ad culmen Olympi.
Hoc duce quid Satanas nobis Phlegetonq; nocebit?
Dicite io Pæan, io io geminate triumphum,
Surgit enim Christus de morte caputq; sub auras
Erigit, & gestat victoris parta trophæa,
Et pignus canit esse ratum, fore tempus ut olim
Et tumulo referant revocata in luminis auras
Corpora nostra pedes, rutiloq; addantur Olympo

C ij

Ille nisi

Ille nisi de morte pedes retulisset ad auras,
Mors eius nobis parva incrementa parasset,
Sed retulit, casuq; suo pœnam esse solutam
Narravit, legi quæve errabundus in oris,
Dedit ignotis, solus persolvit agone,
Dicite io Pæan io io geminate triumphum.
Non audet maius mors insultare misellis:
Mors prostrata jacet, mortem mors vicit I E S V,
Et fecit faciles aditus ad limina cœli.

O igitur salve lato insignita triumpho
Salve festa dies, toto venerabilis ævo,
Qua D E V S infernum, furialia monstraq; vicit,
Latrantemq; canem stygia sub arundine visit.
Salve clara dies læto cantanda cothurno,
Qua D E V S è tetra in nitidas caput extulit arces,
Astra polosq; regit, toto dominatur in orbe.
Ter salve sacrata dies, contagia culpæ
Abluit hac Christus, luteoq; ex carcere gentem
Ex tenebris imis, sicco de gurgite duxit,
Transtulit in diam lucem, sedesq; beatas.
O miranda dies, ô & venerabile tempus
Sydere lucifero, virtute & clarius omni
Quo nil terra parens, vidit felicius vnquam,
Mirandumq; super septem spectacula mundi.

Ergo tibi tales dum I E S V dantur honores
Et Pæana canit populus, datq; Orgia Bacchi
Annalesq; preces meritis ponuntur in aris,

Factaq;

Factaq; sublimi tua voce feruntur ad astra:
Nate patris nostros non dedignare labores.
Sint tibi grata precor demissæ carmina mentis:
Nam te corde pio colimus, clarosq; triumphos
Dicimus, & celebrem ferimus super æthera cantu.
Tu D E V S es magnos qui sustinuisse labores,
Diceris, & vitam nostra posuisse salute.
Tu styge devicta iam sceptrâ perennia gestas,
Omne regis nutu, dextraq; potente gubernas:
Nos te per mortem, nos te per rapta trophæa
Assere nos petimus, pacem patriæq; quietam
Dona, pelle malum nostris à finibus hostem.
Et si te graviter nostra offendere patrata,
Tu velis esse bonus, velis & placabilis esse.
Volvimur in scelerum cæno, jactamur in alto
Gurgite, nos rapiunt validi in contraria flatu
Præcipites venti, circumdamur atq; profundo,
Carbasâ nostra quoq; in syrtes nigrantibus alis,
Et scopulos Boreas, impellit & ardua saxa.
Deficimus lasi, tot tempestatibus acti,
Tu succurre citò, nostræ sis anchora vitæ.
Des tua religio vigeat, tua dogmata crescant,
Inq; dies edat fructus Ecclesia circum
Septa malis, nec non varijs agitata procellis.
Perde quibus sacræ privaris honore cathedræ,
In mensemq; tuam fidos dimitte ministros,
Non quales mundus, sed tu quales vis habere.

C iij

Acta

7 Acta fuit rabie quando Gangetica Tygris,
Appetit & nostros morsus Panchæa Charybdis,
Tu compesce precor, conatus perde malorum.
Et dum Phryxæis canis Erigoneius undis
Carpathio Mahomet cinctam qui marmor Rhodum
Incolit, & Bymarin, claramq; Propontidis urbem
Aemonias arces, septemplicis oppida Nili,
Et solymæ colles, atq; arva Typhoidos Aetnæ,
Sævit in Istricolas, & equis dum Pannona lustrat
Regna Pelethronijs, fortesq; in prælia gentes
Excitat, inq; furit, Busiride sævior, armis,
Marte quatit populos, occisa cadauera palis
Appendit, populatur agros immanibus ausis.
Christe preces miseræ gentis quas jactat ad auras
Cum gemitu exaudi, patriæq; tuere salutem.
Progressus prohibe, finemq; impone malorum,
Et Mahometi genæ vires & toxica tela
Contere, sic claro à populo laudaberis ore.
Sicq; recognoscet Mahomet prostratus in armis
Te fore quem tellus, cœlum, & quem pontus adorat.



PRAGÆ,

EXCVDEBAT GEORGIUS NIGRINVS,

ANNO: M. D. XC.

